occasio de quo iniusto terribilem veritatis comminacionem tunc sue
redditur racionem sit et comittit quod maiori et multiplicitate
nocivum. Iterum hec ex tali occasione et racione magne
dampnificacionis aliorum in sua fama. Contra quod hic cadunt
sepissime tam loquentes quam audientes vel in indignacionem contra
eos de quibus fit oblocucio vel in falsam iustificacionem propriam
tam cordis quam operis dum vir cogitacione interiori pessime
contra posita aliena mala et sua propria mala quamvis similia
et maiora palpabis tumet et inflatur dicendo: Gratias tibi
ago domine deus quia non sum ego talis qualis iste de quo
tanta mala referuntur. Et sic miser cadit in foveam quam
fecit et illo evangelico pharizeo false iusto fit peior quia
ipse iudicat si non se meliorem ei tamen propter suam superbiam sibi
et quod eciam peior ut aliquis et si alio modo. Et hec pharisaicum
vicium tam in loquentibus quam audientibus comprimitur facilius et fit
facile assensu eciam si racio iudicaverit iudicare aliter et idcirco
manifestare minime attemptet. Si quis queret signum
quo sciret quis pro bono fine loquitur aut malo de malis
proximi. Respondetur quod dum loquitur aliquis ad bonum aliquorum
mala commemorat ut puta in se et audientibus provocet me-
tum ad orandum pro talis emendacione nostram est ut senciat tunc
in se quandam ad eundem de quo fit sermo compassionem
piam dulcemque misericordie et caritativum affectum. Et eciam videtur
quilibet ut homo nisi cogat racio de tam mala in-
et dampnabili sui pia mater non delectatur in narrando longo
mala filii sui. Hec eciam dicit illa nisi pro necessitate ut puta ipsi
medico aut illis qui eius saluti poterunt prodesse et ma-
lum adiacens auferre. Sed et itaque narrando suspirat alte
tristatur dolet et abbreviat sermonem quantum potest et quantum
videtur sufficere ad ostensionem infirmitatis que sibi tante tristicie
causa consistit. Sed dum quis loquitur malum de aliis cum voluptate
sunt signa contraria. Cum non tunc sentit indignacionem animi contra eos
de quorum malis loquitur et cum quadam acritudine fellis cor
rodit et mordet ipsos absentes et verbis suis venenatis
linguaque sua ut gladius acutus acuata lacerat sine ira
sine aliqua compassione. Hec patet sine verbis suis quia saciari
nequit eius vorago in invidia quamvis licet crudas omnes carnes
et totum sanguinem eius quem devorat quantum in eo est absorpse-
rit. Et quamvis consciencia sua sibi clamet quod talia agendo
inimicos edificet proximo et in multis audientes scandalizet
non tamen adhuc cessat quin quanto tempus patitur venena sua

Nota. Signum qualiter loquendum sit de absentibus